



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 61. Comitia Anglica, & Cronwelli oratio ad Deputatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII.
A. C. 1654.

§. LXI.

Comitia Anglica, & Cronwelli oratio ad Deputatos.

Tuld. t. c.

Nil magis ardentem cordi habere videbatur Cronwellus, nisi ut singulare Religionis studium præferret, & Presbyterianos, quos tamen a potioribus Regni officiis excluderat, cum Independentibus in unam sectæ societatem conjungere posset, ea propter hosce Sectatores beneficiis cumulabat, ut illos absque tumultu regere, ac utriusque partis favore suam auctoritatem potentius tueri valeret, simulque ab eis obtinere posset, ut sua Protectoris dignitas a libero Parlamento confirmaretur. Eo fine Ovenum & Samsonem Prædicantes adesse iussit, eosdem hortatus, ut scholas & Academias ab illis opinionibus, quæ contentiones horum adversus illos progignunt, expurgarent, ac doctrinæ concordiam, sanctiorisque vitæ studium ubique retineri adlaborarent: præcipue vero conservata Evangelii puritate Antichristi, scilicet Romani Pontificis, propaginem evellere conarentur, nequaquam tamen sese civilium rerum gubernationi immiscerent, cumque *nihil tam Christianæ puritati, ut inquit ipse, adversum reperiatur,*

M 5 *quam*

Sæc. XVII. *quam illorum, qui sese Catholicos ambitio-*
A. C. 1654. *jactitant, superstitiosissimi cultus observan-*
tia, hinc id omne genus hominum ac rituum
diris devoverent, neque illos secum vivere
aut colloqui paterentur, & matrimonium,
quod Papistæ pro sua avaritia sacramenti
nomine donarunt, nemo Sacerdotum in
Magistratu administraret. Nunquam ta-
men luculentius Cronwellus suum ergo
Catholicos, & Regiam sobolem odium
atque affectatum suæ sectæ studium
exerebat, nisi in ea oratione, quam
illis pronuntiabat comitiis, quæ in
Westmonasteriensi Abbatia ante Hen-
rici VIII. schisma Benedictinis ab E-
duardo Rege concessa habebantur; dum
enim die decima tertia Septembris
dem Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ De-
putatos pro eligendo novo Parlamento
adesse jusserat, non modo omnes illos
qui pro Carolo I. Rege, vel ejus Filiis
arma sumpserunt, omnino excludi præ-
cepit, sed etiam coram illis sat pro-
lixum habuit sermonem, cujus sum-
mam huc adducere, haud abs re erit:
Sic ergo effatus est:

Neminem vestrum ignorare arbitror,
viri lectissimi, quæ sit hodierni conventus
nostri causa; nempe trium nationum vita
& salus, religio atque dignitas omnium
strum humeris imposita sunt, quæ nisi sum-
mo studio, ac fide sublevamus, ac retinemus,
magne

*magnopere verendum erit, ne patriam everti, Sæc. XVII.
& Christianam religionem evelli sinamus. A. C. 1654.*

Deus optimus, quicquid inauspicatum esse potest, suo lumine ab hac republica benignissime amoliat. Deus inspiret animis nostris, atque confirmet, ut quod facere instituimus, ad ipsius Nominis immortalem gloriam optato fine concludere liceat; ipse juvet rem nostram, quo divissimæ superstitionis cultu in exilium abire jussu, reformatæ religionis decus & libertas hominum pectoribus inserantur, insita conserventur, conservata statum nostrum perficiant. Nunc vero hic amplissimus, frequentissimusque post hominum memoriam totius Angliæ confessus optimam in spem me vocat, brevi fore, uti res nostra publica maximis difficultatibus expedita, non concordia minus atque religione, quam opum vi atque viribus efflorescat. Papistas omnes, portenta illa atque funera Britannicæ summa omnium voluntate ejecimus; sed cum domesticis hostibus negotii aliquanto plus contraximus, qui florentem statum Angliæ, & hac administratione constabilitum subruere conantur. Quid autem indignum? quid intolerabilius, quam Superiorem Senatam, quem æquissimo jure solvendum, ac de sententiæ dicendæ provincia detrahendum censuimus, consiliari ausum fuisse, quomodo omnis generis hominum æqualitate introducta, nullius, non dicam Protectoris, sed ne hominis quidem in re gerenda,

Sæc. XVII. da, administrandaque authoritas rite valent
 A. C. 1654 Non me latet sceleris illius, horum con-
liorum authoris & principis insania: vos appello viri Sapientissimi, atque valde
 ementer etiam non mearum necessitatum, sed
 communis Salutis causa obsecro, ne summi
 unius furore atque amentia res Deo adju-
 vante optime ac saluberrime institutas per-
 turbari atque convelli. Scio, quos tanti
 perturbationis insimulem: scio, qui nobis
 ne naufragium faciamus, tanquam scopulis
 atque Syrtes remis ac velis fugiendi sint: qui
 me magnis luctibus populi Anglicani, sum-
 ribusque subvenientem hoc novo pravissima-
 rum opinionum genere excogitato, ferre
 non posse videntur. Levellerios appella-
 sese illi, illi sunt ad cupiditates suas exple-
 das nati mortales, qui Magistratum, quem
 optimus Deus constituit, reverentia & me-
 soluti, nullum in republica ordinem, nullas
 leges patiuntur. Sed quæso vos, stupidita-
 tem hominum cognoscite, ne alio quam Christi
 Spiritu impulsore atque adjutore, quod mo-
 liuntur, moliri videantur: Evangelicæ pi-
 tatis fucos simplicioribus illudunt: tum de-
 nique Christiano more vitam institui, &
 Christo se vehementer cordi esse confirmant.
 Si exciso omni fastu nemo imperat,
 nemo quemquam infra se positum arbi-
 tretur, sed veluti amicorum omnia sunt
 communia, ita imperium, dignitatem, re-
 rum divinarum atque humanarum admini-
 stratio

orationem pro se quisque teneat, leges vi-
 vendi sibi quisque ac modum præscribat, Sæc. XVII.
 A. C. 1654.
 nulli sit formidabilis, nulli subjectus, om-
 nium æqualis. Quæ hæc per Deum immor-
 talem æqualitas est, quæ non potius turbu-
 lenta ratio, & pervertendi omnia libido?
 an adeo disciplinæ majorum, & institutioni
 divinæ oblitus sumus, ut Paulum non me-
 minerimus ad honorem magistratibus haben-
 dum, & humanissima & clarissima voce
 hortantem? quid gladius ille non in acie
 Pharsalica Tiberonis, sed in pace atque o-
 tio, qui magistratui nudus præfertur, quid
 agit? quid loquitur? non sine causa, in-
 quit Paulus, gladium portat magistratus,
 iræ Dei in sceleratos vindex. Sed male
 hanc operam in hominum furiosissimorum
 confutanda oratione collocamus. Maneat
 suus magistratibus honos, sit sua Ecclesia-
 sticis ordinibus integra dignitas, & divinæ
 legis, ut semper fuit, docta & sana expli-
 catio, sui aliquando ipse in hac Sententia,
 Concionatoribus otiosis nihil opus esse rei
 nostræ publicæ: verum cum videam, doctos
 & huic muneri non ineptos necessario nobis
 retinendos esse: Flecto ipse me, atque cor-
 rigo, eosque ad Ecclesiæ Christi ministerium
 exequendum cum cura admoneo: ne hæc re-
 rum confusio Anglicani status integritatem
 evertat. Reliquas vero curas nostras &
 cogitationes in Salute optimatum, in otio
 populi, in reformatæ religionis ornamento
 plane

Sæc. XVII. plane defixas retinemus. Huc spectat, quod
A. C. 1654. maximis terrestribus, maritimisque confli-
ctis bellis, aliquem eorum, Deo adiutorum
 exitum repererimus, nam ut in Scotia Hy-
 psichtones rebellent, cum fortissimis gentibus
 pacem fecimus, confœderatis Belgis, Sca-
 cis, Danis, Portugalsibus &c.

Nil ergo restare videtur, nisi ut Pro-
 stantium, qui Evangelii causa ex Romano
 Imperio exulare coguntur, patrocinia sus-
 scipiant, causamque eorum religionis suam
 existiment: certo omnibus persuasum esse
 oportet, me non ita cum Senatoribus me-
 concionari, quasi imperata illi, quæ dico
 facere debeant; verum in labores ac pericula
 Reipublicæ commodo suscipienda, ducentem
 & egregiorum operum adiutorem me ubique
 futurum polliceor: quare eant bono animo
 in congregationem, ac de rebus tantis suam
 ma consensione deliberent.

Cum vero ex Senatoribus nonnulli
 omnibus Cronwelli placitis velificari
 tergiversarentur, ac prius decidi pete-
 rent, qua auctoritate eos Cronwellus
 ad hæc comitia convocasset, ipse suam
 dignitatem a Parlamento haud confir-
 mari veritus, quod oris facundia impe-
 petrare desperabat, verborum asperita-
 tate extorquere nitebatur. Igitur acrius
 in fluctuantes invecus, comitiorum je-
 nua milite firmata eisdem injunxit, ut
 fidem suam eidem sequentis juramenti
 Reli-

Religione obstringerent: *Ego, qui no-* Sæc. XVII.
men meum subscripsi, induco animum, & A. C. 1654.
volens recipio, me Domino Protectori, Rei-
que publicæ Angliæ, Scotiæ, Ibernici fi-
delem ac benignum fore, & quod confecta-
rium est, nihil propositurum in cætu nostro,
nullius voluntati assensurum, si Protectoris
ac illius ab eo Protectore constituti Senatus
authoritas ex Sententia aut voluntate sug-
gillari, permutarique videatur.

Cum autem huic juramento alii om-
 nino subscribere recusarent, alii dun-
 taxat ad id metu adacti essent, Cron-
 wellus die vigesima secunda Januarii
 Parlamentum dissolvit.

§. LXII.

Catholici in Hibernia dire vexati.

Jam per aliquot annos Angli æque ac Lexic. Her.
 Scoti Hibernos dire vexabant, non Rapin Thoi-
 alia ex causa, animique proposito, nisi ras Hist.
 ut Religionem Catholicam, quæ in d' Angl. l. 22.
 hoc Regno adhucdum vigeat, peni-
 tus eliminarent, & Anglicanæ sectæ
 pestem inveherent: Sub idem tempus
 Carolus I. Angliæ Rex adversus rebel-
 lis Parlamenti sui violentias Hiberno-
 rum Religione Catholicorum opem im-
 plorabat, qui etiam Regi suo fidelissimi,
 veramque fidem inique oppressam tuen-
 di studio incitati inito sacro fœdere
 exer-